



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput. III. De dispositionibus ad Confirmationem, & ejus effectibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

S. Greg. lib.
3. Epistola
26.

tificis fieri posse videtur, ut patet ex Divo Gregorio, qui scribens ad Januarium Episcopum ait: *Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostra Ecclesia fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.*

D. Th. q. 72.
art. 11. ad 1.

Hoc autem, ut ait Divus Thomas: Ex plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.

Refertur etiam in Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino. *Per Apostolica sedis dispensationem ex rationabili & urgenti admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc Sacramentum Confirmationis aliquando administrasse.*

CAPUT III.

*De Dispositionibus ad Confirmationem
& de ejus effectibus.*

Quaest. 1. **Q**UID agendum est à Parochis, cum mandatum acceperunt ab Episcopo preparandi sibi subditos, ad Confirmationem suscipiendam?

S. Carolus
Act. p. 1. tit.
Quæ perti-
nent ad Sa-
cram. Con-
firm.

Resp. Ex sancto Carolo: *Parochi, animarumve Curatores populum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit Confirmationis Sacramentum cujus ministrandi solus Episcopus ordinariam potestatem habet. Videant item, ne quis eorum qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare pra-*

De Sacram. Confirm. Cap. III. 119

moneant, quod etiam in Concilio Vormatiensis Canone sancitum est, ut quicumque intra Parochiae suae fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant qui aetate sunt, quae Episcopus eos duxerit esse debere qui ad hoc Sacramentum tunc accedant. Elaborent praeterea iidem, ut qui adulta aetate confirmandi sunt, primo de peccatis confiteantur; tunc etiam admoneant ut jejuni illud suscipiant cum mane ministratur.

Reliqua etiam diligenti cohortatione denuntient, quae ad hoc Sacramentum recte sanctaeque suscipiendum pertinent.

Quaest. 2. Quae sunt dispositiones necessariae ad valide suscipiendam Confirmationem?

Resp. Constat, Confirmationem non posse valide administrari, nisi baptizatis, ut enim ait Divus Thomas; Dicendum quod character Confirmationis ex necessitate praesupponit characterem Baptismalem: ita scilicet, quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet; sed oporteret iterato ipsum confirmari post Baptismum. Cujus ratio est, quia sic se habet Confirmatio ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem. Manifestum est autem, quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam, nisi primo fuerit natus, & similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest Sacramentum Confirmationis accipere.

D. Tho. 3. p.
q. 71. art. 6.
in corp.

Quaest. 3. Quam aetate suscipiendum est hoc Sacramentum?

Resp. Ex Catechismo Romano: Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare

Catechif.
Concil. Tri-
dent. p. 1.
De sacram.
Confirm. S.
15.

120 TRACTATUS III.

si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maximè convenit.

Conc. Medio.
1. de his quæ
pertinent ad
Sacram. Con-
firm. admi-
nis.

Idem statuit sanctus Carolus. *Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini prabeatur.*

Conc. Me-
diol. 5. tit.
Quæ ad Con-
firm. Sacra-
mentum per-
tinent,

Quest. 4. Licet-ne unquam administrare hoc Sacramentum pueris ante septennium?

Resp. Ut ait Divus Carolus: Si Episcopus ob aliquam causam justam, atque adeo necessariam, parvulo & infanti, qui non modò etatem septem annorum expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit veritum. Iis verò minoribus natu atque adeo parvulis si quandoque ministrabitur, eorum parentes, vel qui curam gerunt, Parochus moneat, ut etate procedente eos de ea re certiores faciant, ne parentibus curatoribusque postea mortuis, ipsi aliquandò dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint.

D. Tho. 3. p.
q. 72. art. 8.
ad 4.

Quest. 5. Quanam ex causa licet administrare hoc Sacramentum ante septennium?

Resp. Licet cùm aliquis puer versatur in periculo mortis, ne decedat sine gratia Confirmationis, ut enim ait Hugo de sancto Victore relatus à Divo Thoma: Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, nisi forè propter contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Vnde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.

Glossa. De
Consecr. dist.
5. verbo, In
Confirmatione,

Hoc autem consonat Glossæ in Canone, *Ut jejuni; Numquid minorem habebit gloriam 5. verbo, In parvulus non Confirmatus? videtur quòd sic, quia in Confirmatione datur augmentum gratia.*

Quest. 6.

De Sacram. Confirm. Cap. III. 121

Quaest. 6. Requiritur ne status gratiae ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis, hoc est, ad recipiendam gratiam cum caractere?

Resp. Est absolutè necessarium, ut enim ait sanctus Antoninus. Advertendum quòd si quis renuntiasset juri suo alicujus dignitatis, Confirmatio nihil vel modicum sibi valeret, nisi sibi jus redderetur: sic in proposito, qui renuntiat gratia Baptismali, quod fit per mortale commissum, postea accedens ad Confirmationem cum eo, non confirmaretur in gratia, nec augetur sibi gratia: imò mortaliter peccaret, & magis debilitaretur in anima, quamvis characterem reciperet indelebilem; & hoc nisi restitueretur sibi prius gratia amissa, quod non fit nisi per poenitentiam.

S. Ant. 3. p.
tit. 14. c. 3.
§. 1.

Quaest. 7. Quænam sunt aliæ dispositiones necessariae ad recipiendum fructuosè hoc Sacramentum?

Resp. Illas dilucidè explicat Divus Carolus his verbis; Illud verò Parochus maximè hortabitur, ut huic Sacramento cum Spiritus-sancti gratia uberrimè conferatur, ad eam consequendam se jejuniis, eleemosynâ, qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis & operibus parent; atque in primis frequentiori & ardentiori religiosa orationis studio devotè sese exerceant, exemplo sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum-sanctum perseverantes erant in oratione & jejunio. Sed efficiet saltem, ut pridie diei Confirmationis jejunent qui possunt.

S. Carol. Aët.
p. 4. De præ-
paratione
ante ministr.
Sacram. Con-
firm.

Et ut ait Catechismus Concilii Tridentini. Qui adulta jam aetate confirmandi sunt, siquidem hujus Sacramenti gratiam & dona consequi cupiant, eos non solum fidem & pietatem afferre, sed graviora etiam peccata

Catech. Con-
cil. Trident.
p. 2. De Con-
firm. Sacram.
§. 4.

112 TRACTATUS III.

qua admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia & alia pietatis opera suscipienda incitentur.

Quaest. 8. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

Resp. Tres sunt hujusmodi effectus: Primus communis aliis Sacramentis est, quod producit augmentum gratiae in suscipiente, modò cum debitis dispositionibus illud suscipiat: ut enim habetur in Canone. *Spiritus-sanctus in fonte Baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.*

Can. Spiritus-sanctus. De Consecr. dist. 5.

Secundus effectus hujus Sacramenti peculiaris est, quòd perficit gratiam Baptismalem, & corroborat seu confirmat addendo vires spirituales ad tuendam interiùs fidem adversus omnes carnis tentationes, & exteriùs adversus inimicos fidei etiam cum periculo vitæ, ut videtur in Canone mox citato.

Tertius hujus Sacramenti effectus est, quòd imprimat in anima suscipientis characterem spiritualem, & indelebilem, ut definitum est in Concilio Tridentino, sess. 7. Can. 9. Quare, ut ait Gregorius II. relatus in Canone.

Can. De homine. De Consecr. dist. 5.

De homine qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis iteratio prohibenda est.

D. Th. 3. p. q. 72. art. 5. in corp.

In Confirmatione, ait Divus Thomas, accipit homo potestatem ad agendum ea qua pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus-sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in

De Sacram. Confirm. Cap. IV. 123

oratione; postmodum verò egressi non vereban-
tur publice fidem fateri, etiam coram inimicis
fidei Christiana; & ideo manifestum est,
quod in Sacramento Confirmationis imprimi-
tur character.

C A P U T I V.

De Ceremoniis Sacramenti Confirma-
tionis.

Quest. I. **Q**UARE requiritur ut aliquis
teneat Confirmandum, ipsum-
que sistat Episcopo?

Resp. Ex Divo Thoma. Dicendum quòd,
sicut dictum est, hoc Sacramentum exhibetur
homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut au-
tem aliquis de novo natus indiget instructione
in iis quae pertinent ad conversationem vita,
secundum illud Hebr. 12. Patres quidem car-
nis nostrae habuimus eruditores, & revereba-
mur eos; ita illi qui assumuntur ad pugnam,
indigent eruditoribus à quibus instruuntur de
his quae pertinent ad modum certaminis: &
ideo in bellis materialibus constituuntur Duces
& Centuriones per quos alii gubernentur. Et
propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacra-
mentum, ab alio tenetur, quasi per alium in
pugna spirituali erudiendus: similiter quia
per hoc Sacramentum confertur homini per-
fectio spiritualis aetatis, sicut dictum est; ideo
ille qui ad hoc Sacramentum accedit, susten-
tatur, quasi spiritualiter imbecillis & puer.

Hic autem nota, quod qui non est baptiza-
tus, vel non Confirmatus, non debet esse sus-
ceptor in Sacramento Confirmationis; quia
tenens aliquem ad Confirmationem, tenet